Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ad populum dicens. Viri cetus et religiosi temporum nostrorum
dignum nobis est. ut intimatione ista religio temporum nostrorum
augeatur: tamen patres conscripti concedamus facultates ut ubi
inventi fuerint christiani teneantur. At illi discesserunt
omnes clamantes. Auguste tu vincas omnes inimicos
tuos! ita cum diis floreas. Tunc venit quidam ad prefec
tum hermogenianum dicens ei. Est quidam episcopus qui cotti
die conventicula facit cum christianis. et libros exponens
seducit populum. Cumque hoc audisset hermogenianus pre
fectus urbis. continuo renunciavit augusto maximi
ano. Tunc maximianus augustus repletus auctorita
te. dirigi iussit ad quendam venustianum augustalis tu
scie. dicens. Victor maximianus augustus. triumphator
perpetuus imperator: parenti venustiano augustali tuscie.
Suggestione patris nostri hermogeniani prefecti urbis
aput nos claruisse cognosce. quia iusta petitio occulta
ri non debet ut scelus istum nostra provulgatione tegeretur. Idoque
commonemus. ut ubicumque christiani inventi fuerint vacuam
superstitionem colentes. sacrificare cogantur diis. aut certe
penis intereant facultatibus nudati. fisci iuribus appli
candi. Eodem tempore venustianus augustalis tuscie cepit
curiose querere si alicubi occultum christianum inveniret.
Tunc divulgatum est ei episcopum. Savinum virum eloquentissimum et
delimatus sermone. clarusque in omnibus divinis in
structionibus. Mittens quoque milites tenuit eum in civitate
asinata. atque in eodem loco in custodiam mancipavit.
cum duobus diaconibus idem Marcello et Exuperantio et mul
tos de clericis. Alia autem die venit assisium postero
venustianus iussit sibi tribunal parari in medio foro. et
ita factum est. Tunc oblatus est ei Savinus episcopus cum duobus
diaconibus. quem ita aggreditur dicens ei. Designa nobis
nomen tuum. Dicit ei Savinus episcopus. Christianus sum. Dicit ei
venustianus vir clarissimus augustalis tuscie ad episcopum.
Servus es aut liber? Savinus episcopus dixit. Servus
sum christi. liberatusque a diabolo per christum. Venustianus
dixit. Quo honore fungeris? Savinus episcopus dixit.
Nos peccatores sumus. sed officio fungimur christi episcopatus.
Venustianus dixit. Hii duo quo honore funguntur?
Savinus episcopus dixit. Diaconi mei sunt. Venustianus dixit.
Que te auctoritas prestat minimum ut doctrinam oc
culte facias et doceas populum ut relinquat deum et ser
viat homini mortuo? Savinus episcopus dixit. Tamen est in
cognitione tua! quia mortuus est dominus ihesus christus. Ve
nustianus dixit. Et vere occisus et sepultus. Savinus episcopus
dixit. Et quia tercia die surrexit non scis! quod tamen cog
noscere debes. Venustianus dixit. Elige tibi unum e duobus
aut sacrifica diis et vive! aut tormentis quibus dignus es

peribis. Respondens Savinus episcopus dixit. Ego desidero re
cari et mori! ut resurgam sicut dominus noster ihesus christus. Venus
tianus dixit. Consule tibi et pollicere te diis sacrificare ut
vivas. Savinus episcopus dixit. Si cognosceres veritatem non
blasphemiam proferres ex ore tuo. sed humiliares te deo
omnipotenti et ihesu christo filio eius et spiritui sancto. qui mortem captivavit
et vitam mundo donavit. Venustianus dixit. Ergo non sunt
dii gubernatores rei publice? Savinus episcopus dixit. Non sunt
dii sed sunt demones qui destruunt rem publicam vestram.
et ut scias quia nichil boni est colere demonia. Tunc ve
nustianus iussit ut deus quem habebat in cubiculo suo
deferretur in medio. qui erat mire facture lapidee. et
vestimenta eius deaurata erant. Qui cum adductus
fuisset cum lapidibus et vociferationibus: venustianus
dixit. Ecce protector noster. Tunc subridens Savinus episcopus
dixit. O vana instantia. ut dimittatur deus creator
omnium. et colatur lapis sordidissimus. Venustianus dixit.
Ergo non sunt dii? Savinus episcopus dixit. Non. sed ut scias
quia non sunt dii. dimitte me facere quod volo. et modo vi
debis. Venustianus dixit. Si presumis fac quod vis. Tunc beatus
Savinus episcopus accepto iove in manibus suis. orationeque fac
ta. continuo elisit in pavimento et confregit deum io
vem. Hoc venustianus videns tundit cum furore frontem suam
dicens. Fibum nos. et res publica obscurata est. Et ita
iussit eum cum furore ut ei manus preciderent in conspectu
suo dicens. Sacrilegum Savinum qui pertinacia sua comminu
it deum nostrum iovem. omnibus militibus meis presentibus trunca
ri iubeo. Eadem vero hora precise sunt ambe manus beati Savi
ni. Et cum hoc factum fuisset ceperunt Marcellus et Exup
antius diutissime timere et trepidare. diacones sancti
Savini. Eadem autem hora beatus Savinus cepit manibus
precisis confortare diaconos suos Marcellum et Exupan
tium. et accepta fiducia cepit clamare dicens. Pereant
dii demoniorum et letetur querentium dominum. Tunc venustia
nus eadem hora collegit fragmenta dei sui iovis in linthe
aminibus et collocavit in capsa argentea. et misit in
domum suam. et iracundia plenus iussit in conspectu suo
Marcellum et Exuperantium in eculeum suspendi presente Sa
vino episcopo dicens eis. Sacrificate diis. aut penis vos
peribitis. Respondens autem Savinus dixit. Filii karissimi.
constantes estote. et nolite timere. Respondit marcellus
plenus deo. Nos semel optulimus deo sacrificium. Venusti
anus dixit. Macerate fustibus ambos in conspectu Savini qui
manibus pollutis confregit deum nostrum iovem. At illi cum
diu cederentur clamabant vocibus magnis. Gloria tibi domine
ihesu christe quia meruimus introire in requiem. Et cum clama
rent ambo pariter. dixit ad eos venustianus augustalis